



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Epistolæ duæ Sulptiji Severi Presbyteri Aquitani ad Claudiam sororem
suam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688



EPISTOLÆ DVÆ
SVLPITII SEVERI
PRESBYTERI AQVITANI.

I. *Epistola sancti Severi Presbyteri ad Clau-
diam sororem suam de ultimo iudicio.*

LECTIS epistolis tuis, multo modo permo-
tum affectum lacrymis tenere non potui. Nam
& gaudio flebam quòd te secundum Domini Dei
nostri præcepta vivere & sermone ipso litterarum
tuarum poteram agnoscere, & pro desiderio tui
non poteram non dolere, quòd per summam à te
injuriam alienabar, si litteras non misisses. Tali er-
go sorore non fruerer? Testor autem salutem tuam,
persæpe ad vos venire volui, sed usque adhuc impe-
ditus sum, obsistente eo qui consuevit obsistere.
Nam & festinabam desiderio meo in tuo aspectu
satisfacere; & opus Domini nostri inter nos obi-
ter videbatur acturi, cum alter alterum consolando,
calcata à nobis mole seculi, viveremus. Sed
jam veniendi diem tempusque non statuo, quia
quotienscunque statui, implere non potui. Domini
operiar voluntatem; speroque quòd meis votis
& orationibus tuis de nostra nos fructum capere
faciat perseverantia. Ceterum quòd à me in omni-
bus epistolis quas ad te miseram vitæ ac fidei tuæ
præcepta desiderans, jam per assiduitatem scripto-
rum meorum verba consumpsi, nihil novum tibi

rescribere modò possum quod antè non scripserim. Et sanè propitio Deo jam non indiges admoneri, quæ fidem inter principia consummans, devoram in Christo exhibes caritatem. Vnum tamen moneo, ne transcurfa repetas, ne contempta desideres, ne manum aratro inferens, retrorsum conversa respicias. quo utique in te redeunte vitio, ordinem suum necesse est sulcus amittat, nec sanè mercedem suam cultor accipiat. Alioquin nec partem consequitur si ex parte cessaverit. Nam sicut à peccato ad justitiam fugiendum est, ita & qui justitiam fuerit ingressus, ne peccato pateat præcavendum. Scriptum enim est iusto, in qua die exerraverit, justitiam non profuturam. In hoc igitur consistendum est, in hoc laborandum, ne qui peccata evasimus, præmia parata perdamus. Stat enim adversus nos paratus inimicus ut nudatum fidei umbone mox feriat. Non abiciendus est itaque clypeus, ne latus pateat. Non remittendus est gladius, ne hostis incipiat non timere. Porrò cum armatum viderit, abibit. Nec ignoramus durum esse ac difficile adversus carnem & seculum quotidie dimicare. Sed si æternitatem cogites, si cælorum regna consideres, quæ utique nobis Dominus licet peccatoribus præstare dignabitur, quæ tandem condigna passio est qua tanta mereamur? Luctamen autem in hoc mundo parvi temporis est. Nam etsi mors non succedat, senectæ succedet. Labuntur anni, fluunt tempora, & , ut spero, Dominus Iesus tamquam desideratos sibi celeriter vocabit. O quàm felix ille noster excessus, cum à labe peccati melioris vitæ conversatione purgatos sede sua nos Christus excipiet! Occurrent Martyres & Prophetæ, tangentur Apostoli, gaudebunt angeli, lætabuntur archangeli, victusque saranas cruento licet ore pallebit, quippe qui etiam nostra, quæ si-

bi in nobis præparauerat, peccata perdidit. Videbit gloriam concessam per veniam, merita honorata per gloriam. Nos triumphabimus hoste superato ubi tunc mundi istius sapientes ridebuntur, ubi avarus, ubi adulter, ubi impius, ubi ebriosus, ubi maledicus recognoscentur. Quid miseri pro sua defensione dicturi sunt? Nescimus te Domine, te in mundo esse non vidimus. Prophetas non misisti, legem seculo non dedisti. Patriarchas non vidimus, sanctorum non legimus exempla. Christus tuus in terra non fuit, Petrus tacuit, Paulus noluit prædicare, Evangelista non docuit, Martyres non fuerunt quorum exempla sequeremur. Futurum iudicium tuum nemo prædixit, vestire pauperem nemo mandavit, prohibere libidinem nemo præcepit, repugnari avaritiæ nemo persuasit. Inscientia lapsi sumus, quæ fecimus nescientes. His contrario ex illo sanctorum choro vel primus iustus Noë proclamabit. Ego, Domine, & superuenturum propter peccata hominum diluuium prædicavi, & post diluuium exemplum de me præbui bonis ut malis pereuntibus non perirent, ut isti recognoscerent & quæ esset innocentibus salus & quæ pœna peccantibus. Post hunc, Abraham fidelis obfistet. Ego, inquit, Domine, fidem qua humanum in te crederet genus media ferè mundi illius ætate fundavi. Ego pater gentium, cujus exempla sequerentur, electus sum. Ego Isaac adhuc parvulum non dubitavi, Domine, offerre tibi pro vittima, ut isti recognoscerent nihil non Domino præstari debere, cum me ipsum ne filio quidem unico intelligerent pepercisse. Ego terram meam & cognationem meam te iubente deserui, ut istis quoque esset exemplum nequitias mundi & seculi peccata deserere. Ego, Domine, te licet corpore, sub imagine primus agnovi, nec dubitavi credere

quem videbam, licet in alia mihi substantia videris, ut isti intelligerent non secundum carnem sed secundum spiritum iudicare. Huic Moyses beatus obsecundabit. Ego legem, Domine, istis omnibus te iubente tradidi, ut quos libera fides non tenebat, lex saltem dicta cohiberet. Ego dixi *Non adulterabis*, ut licentiam fornicationis inhiberem. Ego dixi *Diliges proximum tuum*, ut caritas abundaret. Ego dixi *Domino soli servies*, ne isti idolis immolarent vel templa esse paterentur. Ego ne falsa testimonia dicerentur edixi, ut istis adversus omne mendacium præcluderem ora. Ego facta dictaque à mundi exordio, operante in me spiritu tue virtutis, exposui, ut istis cognitio præteritorum doctrinam tribueret futurorum. Ego te venturum, Domine Iesu, prædicavi, ut istis non inopinatum esset agnoscere quem venturum antè prædixeram. Post hunc adstabit dignus Domini sui David semine. Ego te, Domine, per omnia nuntiavi, ego nomini tuo tantum serviendum esse clamavi. Ego dixi *Beatus vir qui timet Dominum*, ego dixi *Exultabunt sancti in gloria*, ego dixi *Desiderium peccatorum peribit*, ut isti te agnoscerent & peccare desinerent. Ego cum regia præditus essem potestate, cilicio superjecto, pulvere subjecto, depositis insignibus magnificentiae meae procubui vestimentis, ut istis mansuetudinis atque humilitatis daretur exemplum. Ego inimicis meis, qui interficere me cupierunt, peperci, ut misericordiam meam isti probarent imitandam. Post hunc Isaias dignus Dei spiritu non tacebit. Ego, Domine, te per os meum loquente præmonui, *Va his qui jungunt domum ad domum*, ut modum cupiditatis imponerem. Ego iram tuam peccantibus venisse testatus sum, ut istos à malefactis suis, si non spes præmiorum, saltem suppliciorum formido cohiberet. Post hos

Exo. 20.

Psal. 111. &
149.

Isa. 5.

aliósque complures qui doctrinæ nobis officia præ-
stiterunt, ipse Dei filius hæc loquetur. Ego certè
excellsa sede sublimis, cælum palma, terram pu-
gillo continens, intra extráque diffusus, cuncto-
rum quæ gignuntur interior, atque omnibus quæ
moventur exterior, inæstimabilis naturæ, potesta-
te infinitus, invisibilis aspectu, incomprehensibi-
lis ad tactu, ut inter vos ad edomandam duritiam
cordis vestri & perfidiam doctrinis salutaribus mol-
liendam vestrum minimus existerem, nasci carne
dignatus sum, depositaque Dei gloria, habitum
formæ servilis assumpsi, ut communicata vobis-
cum infirmitate corporea, rursus in consortium
gloriæ meæ per obedientiam præcepti salutis adhi-
berem. Aëris infirmisque omnibus sanitatem, au-
ditum surdis, visum cæcis, vocem mutis, clau-
dis pedum officia restitui, ut vos signis cælesti-
bus pro moverem, quò faciliùs in me atque in his
quæ prædicaveram crederetis. Ego vobis cælo-
rum regna promisi. Ego etiam, ut impunitatis
haberetis exemplum, latronem, qui me sub mortis
sue tempore fatebatur, in paradiso collocavi, ut
illius fidem qui remitti sibi meruerat peccata seque-
remini. Atque ut exemplo meo pro vobis & ipsi
pati possitis, pro vobis ego passus sum, ne dubita-
ret homo pro se pati quod Deus pro homine pertu-
lisset. Ego me post resurrectionem, ne fides vestra
confunderetur, ostendi. Ego in Petro Iudæos mo-
nui, ego in Paulo gentibus prædicavi. Nec pœni-
ter. Est fructus bonorum. Opus meum boni intel-
lexerunt, perfecerunt fideles, iusti impleverunt,
consummaverunt misericordes; & magna pars mar-
tyrum, magna sanctorum est. In eodem certè &
isti corpore, in eodem fuerunt mundo. Cur nullum
in vobis bonum opus, gens vipereæ stirpis, inve-
nio? Pœnitentiam malorum vestrorum nec sub ul-

tima die vestri finis egistis. Quid autem attinet quòd me labiis adoratis, si factis & operibus denegatis? Vbi nunc vestrae divitiæ, ubi honores, ubi potentia, ubi vestrae sunt voluptates? Nullam novam in vos mando sententiam. Habetis iudicium quod antè prædixi. Tunc illud miseris Evangelista recitabit: *Iste in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium.* O miseri quos ista non permovet. Videbunt suam pœnam & aliorum gloriam. Utantur seculo, dum æternitate illa quæ sanctis præparata est non fruantur. Affluant divitiis, auro incubent, dum ibi egentes, ibi inopes deprehendantur. Sint in seculo divites, dum in æternitate sint pauperes. de quibus scriptum est: *Divites eguerunt & esurierunt.* Consequenter autem de bonis scriptura subiecit: *Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* Itaque, soror, licet nos isti irrideant, licet nos stultos infelicesque commemorent, felicius gaudeamus opprobriis quibus nobis gloria, illis pœna cumulatur. Nec rideamus illorum stultitiam, sed potius infelicitatem doleamus: quia inter illos pars magna nostrorum est, quos si lucrifacere possimus, augetur in nobis gloria. Sed agant se ut volunt, sint nobis tamquam gentiles & publicani; nos verò salvos incolumésque tueamur. Si illi nunc nobis dolentibus gaudent, nos postea in illorum dolore gaudebimus. Vale soror carissima & in Christo dilectissima.

Explicit epistola Severi Presbyteri ad Claudiam sororem suam.

*Matth. 22.
& 30.*

Psal. 33.

II. *Epistola sancti Severi Presbyteri ad eandem de virginitate.*

QVANTAM in cælestibus beatitudinem virginitas sancta possideat, præter scripturarum testimonia, Ecclesiæ etiam consuetudine edocemur, qua dicimus peculiare illi subsistere meritum cujus est specialis consecratio. Nam cum universa turba credentium paria dona gratiæ percipiat & iidem omnes sacramentorum benedictionibus gloriantur, istæ proprium aliquid præ ceteris habent, dum de illo sancto & immaculato Ecclesiæ grege quasi sanctiores purioresque hostiæ pro voluntatis suæ meritis à sancto spiritu eliguntur & per summum sacerdotem Dei offeruntur altario. Digna revera Domino hostia tam pretiosi animalis oblatio, & nullius magis quam suæ imaginis hostia placitura. De hujusmodi enim Apostolum præcipue dixisse teor: *Obsecro autem vos, fratres, per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem.* Possidet ergo virginitas & quod alii habent & quod alii non habent, dum & communem & peculiarem obtinet gratiam, & proprio, ut ita dixerim, consecrationis privilegio gaudet. Nam & Christi sponsas virgines dicere ecclesiastica nobis permittit auctoritas, dum sponsarum modo eas Domino consecrat velut offensas, vel maximè habituras spiritale connubium quæ subterfugerint carnale consortium. Et dignè Deo per matrimonii comparationem spiritualiter copulantur quæ ejus dilectionis causa humana connubia spreverunt. In his quammaximè illud complectitur Apostoli: *Qui autem adheret Deo, unus est spiritus.* Grande est & immortale, penè ultra naturam corpoream, superare luxuriam & concupif-

Rom. 12;

1. Cor. 6.

centiæ spasmeam adolescentiæ facibus accensam
 animi virtute restinguere & spiritali conatu vim
 genuinæ oblectationis excludere viveréque contra
 humani generis legem, dispicere solatia conjugii,
 dulcedinem contemnere liberorum, quæcunque
 præsentis vitæ esse commoda possint, pro nihilo
 spe futurorum beatitudinis computare. Magna hæc,
 ut dixi, & admirabilis virtus est, non immerito
 pro magnitudine laboris sui ingenti præmio desti-
 natur. *Dabo*, inquit spadonibus dicit Deus, & in
 domo mea & in muro meo locum nominatum melio-
 rem filiis & filiabus; nomen æternum dabo illis, &
 non deficiet. De quibus spadonibus Dominus in
 evangelio repetit dicens: *Sunt enim spadones qui*
se ipsos castraverunt propter regnum calorum. Mag-
 nus est quidem pudicitæ labor, sed majus præ-
 mium; temporalis custodia, sed remuneratio æteri-
 na est. De his enim & beatus Apostolus Iohan-
 nes loquitur quod sequantur agnum quocunque
 ierit. Quod ita intelligendum puto, nullum eis lo-
 cum in cælesti aula claudendum, & cuncta divi-
 narum eis mansionum habitacula referanda sunt.
 Sed ut illustrius virginitatis meritum clareat, &
 quam Deo dignum sit manifestius intelligi possit,
 illud cogitetur quod Dominus & salvator noster
 Deus, cum propter humani generis salutem ho-
 minem dignaretur assumere, non alium quam vir-
 ginalem uterum elegerit, ut hujusmodi plurimum
 sibi placere monstraret, & ut pudicitæ bonum
 utrique sexui intimarer. Virginem matrem habuit
 virgo mansurus. In se viris, sed in matre feminis,
 præbuit virginitatis exemplum. Quo demonstra-
 tur in utroque sexu beatam integritatem divini-
 tatis habere & plenitudinem meruisse, dum tan-
 tum in matre fuit quicquid habebat in filio. Sed
 quid ego satis ago excellens ac sublime pudicitæ
 meritum

Isa. 6.

Math. 19.

meritum revelare & gloriosæ bonum virginittatis ostendere, cum de hac re plerosque perorasse non nesciam & ejus beatitudinem manifestissimis rationibus comprobasse, & nulli sapienti in dubium venire posse eam rem majoris esse meriti quæ sit amplioris laboris? Quisquis enim pudicitiam aut nullius præmii aut parvi existimat, certum est illum aut ignorare aut non voluntariè ferre laborem. Inde illi semper castitati derogant qui eam aut non habent aut habere coguntur inviti. Nunc itaque quam paucis licet tam laborem quam meritum integritatis ostendimus, ne res quæ grandi virtute constat, ingenti præmio destinata, carere fructu suo possit, diligentius excubandum est. Quantum enim quæcunque species pretiosior fuerit, tanto majore sollicitudine custoditur. Et quàm multæ sunt quæ bono proprio carent, nisi aliarum rerum juventur auxilio, ut mellis species, nisi cellarum custodia & favorum cellulis conservetur & ut veriùs dixerim, nutriatur, naturalem gratiam perdit & subsistere per se ipsam non potest. sicut & vini species, quod si non boni odoris vasis & reparatis crebris picibus foveatur, genuinam viri suavitatem amittit. Attentiùs providendum est ne fortè & virginitati aliqua sint necessaria sine quibus nequaquam fructum afferre sufficiat. & tantus nihil proderit labor, dum vanè prodesse creditur quod absque viribus necessariis possidetur. Nisi fallor enim, ob cælestis regni præmium pudiciæ servatur integritas, quod sine vitæ æternæ merito neminem consequi posse certum est. Æterna verò vita non nisi per omnem divinorum præceptorum custodiam promereri potest, scriptura dicente: *Sicut in vitam pervenire, serva mandata.* Vitam ergo non habet nisi qui cuncta mandata legis servaverit. Et qui vitam non habuerit, cælestis regni

Math. 19.

non potest esse possessor, in quo non mortui, sed vivi quique regnabunt. Nihil ergo virginitas sola proficiet, quæ caelestis regni gloriam sperat, nisi & aliud habuerit cui perpetua vita promittitur, per quam caelestis regni præmium possidetur. Ante omnia ergo pudicitiam integritatemque servantibus & ejus remunerationem à Dei æquitate sperantibus mandatorum custodia est præcepta, ne gloriae castitatis & continentiae labor in irritum deducatur. Supra mandatum vel præceptum esse virginitatem sapiens ex lege nullus ignorat, Apostolo dicente: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Cum ergo obtinendæ virginitatis consilium dat, non præceptum statuit, supra mandatum & præceptum eam esse professus est. Quicumque ergo virginitatem servant, majus quam præceptum est faciunt. Tunc enim proderit amplius fecisse quam jussum est, si quod jussum est feceris. Nam quomodo plus fecisse gloriaberis si minus aliquid non feceris? Cupiens divinum implere consilium, ante omnia serva mandatum. Volens virginitatis præmium consequi, amplectere meritum vitæ, ut tua castitas remunerari possit. Nam ut vitam præstat observatio mandatorum, ita eorum è contrario generat prævaricatio mortem. Et qui per prævaricationem in morte fuerit, virginitatis coronam sperare non poterit, neque pudicitiae præmium expectare constitutus in pœna. Tres enim species sunt per quas regni caelestis possessio introitur. Prima est pudicitia, secunda mundi contemptus, tertia verò justitia, quæ ut connexæ plurimum se possidentibus præstant, ita divisæ prodesse difficilè possunt; dum unaquæque earum non propter se tantum sed propter alia efflagitatur. In primis ergo quæritur pudicitia ut facilius subsequatur mundi contemptus, quia ab illis mun-

1. Cor. 7.

ditus contemni levius potest qui matrimonii nexibus non tenentur; mundi verò contemptus exposcitur ut iustitia conservetur, quam difficilè implere possunt qui secularium bonorum cupiditatibus & mundanarum voluptatum negotiis implicantur. Quisquis ergo pudicitiae possidet primam speciem, & secundam, quæ est mundi contemptus, non obtinet, penè sine causa possidet primam, quando secundam non habet, propter quam quæsitæ est. Si primam & secundam habeat, cui tertia, quæ est iustitia, desit, frustra laborat, quando superiores duæ propter tertiam præcipuè requiruntur. Quid enim prodest propter mundi contemptum pudicitiam habere, & propter quod eam habeas, non habere? Vel cui rei mundum contempnas, si iustitiam, propter quam & pudicitiam mundi contemptum habere te convenit, non custodias: quia ut prima species propter secundam est, ita prima & secunda propter tertiam; quæ si non fuerit, nec prima nec secunda proficiet. Dicis forsitan. Doce me ergo quid sit iustitia, ut eam, si cognoverim, facilius implere sufficiam. Dicam tibi breviter ut valeo, & verborum utar simplicitate communium; quia causa de qua agimus talis est quæ disertioribus facundiae sermonibus nequaquam debeat obscurari, sed simplicioris eloquentiae narrationibus pandi. Omnibus enim in commune necessaria, communi debet causa sermone monstrari. Iustitia ergo non aliud est quàm non peccare; non peccare autem, legis præcepta servare. Præceptorum verò observatio duplici genere custoditur, ut nihil eorum quæ prohibentur facias, & cuncta quæ iubentur implere contendas. Hoc est quod dicit: *Recede à malo, & fac bonum.* Nolo enim in hoc Psal. 35. putes constare iustitiam ut malum non facias, cum & bonum non facere malum sit, & in utro-

que legis prævaricatio continetur : quoniam qui dixit *Recede à malo*, ipse dixit & *fac bonum*. Si à malo recesseris & non feceris bonum, transgressor es legis, quæ non tantùm in malorum actuum abominacione, sed & in bonorum operum perfectione completur. Neque enim sibi hoc solùm præcipitur ut vestitum suis non spolies indumentis, sed ut spoliatos operias tuis, neque ut habenti panem non auferas suum, sed ut non habenti tuum libenter impertias, neque ut solùm pauperem suo non pellas hospicio, sed ut pulsam & non habentem recipias tuo. Præceptum enim est nobis flere cum flentibus. Quomodo cum illis fleamus, si in nullo eorum necessitatibus participamus, nec aliquid eis in his propter quas lacrymantur causis præbeamus auxilium? Neque enim fletuum nostrorum Deus infructuosum quærit humorem; sed quia lacrymæ doloris indicium sunt, vult te ita alterius angustias sentire ut tuas. Et quomodo tibi, in tali tribulatione si esses, subveniri cuperes, ita alteri ipse subvenias, propter illud: *Quicumque vultis ut faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis*. Nam cum flente flere, si nihil, cum possis flenti conferre, conferas, sublannationis non pietatis indicium est. Denique salvator noster cum Maria & Martha Lazari sororibus fleuit, & immensæ misericordiæ affectum lacrymarum contestatione monstravit. Et veræ pietatis indicia mox opera subsecuta sunt, cum suscitatur Lazarus, cujus causa lacrymæ funduntur, sororibus vivus redditur. Et hoc fuit piè flere consentibus occasionem fletus auferre. Sed quis potens iniquis. Sed nec tibi aliquid impossibile imperatur. Implevit omnia qui quod potuit fecit. Sed ut dicere cœperamus non sufficere Christiano à malis se abstinere, nisi etiam bonorum operum officia

Matth. 7.

perfecerit, illo vel maximè testimonio comprobatur quo comminatur Dominus æterni ignis reos fore qui quamvis mali nihil gesserint, si non fecerint omne quod bonum est, dicens: *Tunc dicit* Matth. 25. *Rex his qui ad sinistram sunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum quem preparavit pater meus diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. & reliqua. Non dixit, Discedite à me maledicti, quia homicidium, quia adulterium, aut quia furta fecistis; sed quia bona non fecerunt, condemnantur. Hi æternis gehennæ suppliciiis addicuntur, nec quia quæ prohibita fuerant admisissent, sed quia quæ præcepta fuerant implere noluerunt. Vnde advertendum est quam spem habere possint qui adhuc aliquid eorum faciunt quæ prohibentur, cum etiam illi rei sunt qui non fecerunt quæ jubentur. Nolo enim tibi in hoc blandiaris, si aliqua non feceris, cum scriptum est: *Qui universam legem servaverit, offenderit autem* Iac. 2. *in uno, factus est omnium reus.* Adam enim semel peccavit, & mortuus est. Et tu vivere posse existimes illud semel committens quod alium, dum semel perpetrasset, occidit? An grande illum commisisse crimen putas unde merito ac justè damnatus est? Videamus ergo quid fecerit. Contra mandatum de fructu arboris edit. Quid ergo? Propter arboris fructum Deus hominem morte multavit? Non propter arboris fructum, sed propter mandati contemptum. Ergo non agitur de qualitate peccati, sed de transgressione mandati. Et qui dixit Adæ ut de arboris fructu non ederet, ipse tibi præcepit ut non maledicas, non mentiaris, non detrahas, nec detrahentes auscultes, ut non omnino jures, ut non concupiscas, non inideas, non sis tepidus, non sis avarus, ut nulli malum pro malo reddas, ut pro calumniantibus & perse-*

* f. acidia

cutoribus tuis ores, ut percutienti maxillam, alteram præbeas, ut in iudicio seculari non litiges, ut si quis tua auferre voluerit, gratanter remittas, ut nec iracundiæ nec zeli nec livoris malum intra peccatus admittas, ut crimen * avaritiæ fugias, ut omnis jactantiæ ac superbiæ malum caveas, & humilis ac mitis Christi exemplo vivas, malorum confortia in tantum devitans ut cum fornicatoribus aut avaris aut maledicentibus aut invidis aut detrectatoribus aut ebriosis aut rapacibus cibum non capias. Quem si in aliquo contempseris, si pepercit Adæ, parcat & tibi. Immo illi magis parcendum fuerat, qui adhuc novellus erat, & nullius antè peccantis & propter peccatum suum morientis traheretur exemplo. Tibi verò post tanta documenta, post legem, post Prophetas, post evangelia, post Apostolos si delinquere volueris, quomodo indulgeri possit ignoro. An tibi de virginitatis prærogativa plaudes? Memento Adam & Evam virgines deliquisse, nec integritatem corporis profuisse peccantibus. Virgo quæ peccat, Evæ non Mariæ comparanda est. Non negamus in præsentis tempore remedium pœnitentiæ, sed hortamur magis præmium sperare debere quàm veniam. Turpe est enim delicti indulgentiam postulare quæ palmam virginitatis expectant, & illicitum aliquid incurrere quæ se etiam castraverunt. Licitum quippe est matrimonii inire consortium. Et ut laudandæ sunt quæ propter Christi amorem & cælestis regni gloriam copulam contempserunt nuptiarum, ita damnandæ non sunt quæ propter incontinentiæ voluptatem, nondum Deo devotæ, remedio apostolico abuntur. Ergo, ut diximus, quæ connubia licita ut illicita spernunt, ejusmodi autem si jurent, si maledicant, si detrahant, si cupidus in alienis, si detrahentes probantur audire, si malum pro malo

reddant, si avaritiæ in propriis incurrant crimen, si zeli, si livoris venena possideant, si contra legalia & apostolica instituta indecens aliquid aut loquantur aut cogitant, si in carne * placendi studio
* f. civitate
 comptæ & ornatae procedant, & alia quæ fieri solent illicitè faciant, quid proderit eis sprevisse quod licuit & exercere quod non licet? Si vis prodesse tibi quòd licita contempsisti, vide ne quid eorum quæ non licent facias. Stultum est enim timuisse quod minus est & non timere quod majus est, aut ab iis non vitari quæ prohibentur quæ subterfugerint quæ conceduntur. Dicit enim Apostolus: *Inmupta cogitat quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ Dei sunt, inquit, cogitat; non quæ seculi, non quæ hominum, sed quæ Dei sunt cogitat. Quæ sunt ergo Domini?*
1. Cor. 7.
 Dicit Apostolus: *Quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bona fama, si qua virtus, si qua laus disciplina, ista sunt Domini. quæ sanctæ verè apostolicæ virgines die noctûque meditantur & cogitant. Dei est etiam regnum cælorum, Domini est resurrectio mortuorum, Domini est immortalis corruptio, Domini est splendor, solis quæ sanctis promittuntur. Domini est plures sanctorum in cælestibus mansiones, Domini est fructus trigessimus & sexagesimus & centesimus. Hæc cogitant, & quibus possint operibus promereri quæ Domini sunt cogitant. Domini est etiam lex novi & veteris testamenti, in quibus ejus eloquia sancta refurgent: quæ si virgines sine intermissione meditantur, quæ Domini sunt cogitant, & impletur in eis propheticum illud: *Fundamenta æterna super terram solidata, & mandata Domini in corde mulieris sanctæ.* Sequitur, *quomodo placeat Deo, Deo inquam, non hominibus, ut sancta corpore sit & spiritu.* Non dixit, *ut sit sancta membrò aut corpore**

Philipp. 4.

Eccli. 26.

tantum, sed, *ut sit sancta corpore & spiritu*. Membrum enim una corporis pars est, corpus verò omnium compago est membrorum. Cùm ergo dicit *ut sit sancta corpore*, omnibus membris jam sanctificari debere testatur: quia non proderit sanctificatio ceterorum membrorum, si inveniatur vel in uno corruptio. Non erit sancta corpore, quod ex omnibus constat membris, quæ vel unius fuerit coinquinatione polluta. Sed ut quod dico manifestius & lucidius fiat, quæcunque sit omnium membrorum purgata sanctificatione, & lingua tantummodo peccet, aut blasphemet; aut testimonium falsum dicat, numquid liberabunt omnia membra unum, an propter unum judicabuntur & cetera? Ergo sine aliorum membrorum sanctificatione pudicitia nihil proderit, cùm in uno sit vitium. Quanto magis si diversorum flagitio peccatorum omnia corrumpentur, unius nihil proderit integritas. Vnde te quæso, virgo, ne sola tibi pudicitia blandiaris, neque in unius membri integritate confidas, sed secundum Apostolum soli Deo conserva corporis sanctitatem; munda ab omnibus inquinamentis caput; quia crimen est illud, post chrismatis sanctificationem, aut croci aut alterius pigmenti fuco vel pulvere sordidari, aut auro, aut gemmis, vel cujuscunque terrenæ creaturæ specie. Grandis quippe est divinitati contumelia mundani & secularis ornamenti prælatio. Munda frontem, ut humana non divina opera erubescat, & illam confusionem recipiat quæ non peccatum sed Dei gratiam parit, scriptura divina dicente: *Est confusio adducens peccatum, est confusio adducens gratiam Dei*. Munda collum, ut non aurea testula capillis portet & suspena monilia, sed potiùs illa ornamenta circumferat de quibus scriptura dicit: *Misericordia & fides non deficiant à te*. Suspende autem il-

Ecli. 4.

Prov. 3.

las in collo tuo. Munda oculos, dum eos ab omni concupiscentia retrahis, & ab intuitu pauperum nunquam avertis, & ab omnibus fucis liberos ad ea quæ Dei sunt factis custodis. Munda linguam à mendacio, quia os quod mentitur occidit animam, à detractioe, à juramento, ab adulatione, à perjurio. Nolo præposterum ordinem putes quòd priùs à juramento quàm à perjurio linguam dixi debere mundari: quia tunc perjurium faciliùs fugies, si in toto non jures. Impleatur illa sententia: *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Psal. 33.

Et memor esto dicentis Apostoli: *Benedicite, & nolite maledicere.* Rom. 12. Sed & illud crebriùs recordare: *Videte ne quis malum pro malo reddat alicui, neque maledictum pro maledicto; sed è contrario benedictes, quia in hoc vocati estis ut benedictionem hereditatis possideatis.* 1. Pet. 3. Et illud: *Si quis autem verbo non offendit fratrem, hic perfectus est.* Iac. 2. Nefas est enim ut labia illa quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, & laudas, alicujus polluantur sorde peccati. Nescio qua conscientia ea lingua quis Dominum rogat qua aut mentitur aut maledicit aut detrahit. Labia sancta exaudit Dominus, & ipsis annuit citò precibus quas lingua immaculata nuntiat. Munda aures, ut nonnisi sermonibus sanctis & veris auditum præbeant, ut nunquam obscœna aut turpia seculariæque verba suscipiant, aut aliquem de altero audiant derogantem, propter illud quod scriptum est: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam libenter;* Eccli. 28. ut cum eo habere partem possis de quo dicitur quoniam auditu & visu justus erat, hoc est, nec auribus nec oculis delinquebat. Munda manus, ne porrectæ ad accipiendum sint, ad dandum autem collectæ, nec ad ferendum paratæ, sed ad omnia misericordiæ & pietatis opera satis promptæ. Munda pedes, ne latam & spatiosam viam per-

Prov. 4.

Prov. 4.
Prov. 11.

Matth. 5.

1. Ioa. 3.

Matth. 5.

1. Pet. 1.

Apoc. 14.

gant quæ ducit ad splendida seculi & pretiosa convivia, sed ad arduum magis & angustum gradientur iter quod tendit ad cœlum; quia scriptum est: *Iter rectum facite pedibus vestris*. Agnosce tibi à Deo artificem non ad vitia sed ad virtutes membra formata; & cum universos artus mundaveris ab omni sordis peccati & toto fueris sanctificata corpore, tunc tibi castitatem intelligas profuturam, & cum fiducia palmam virginitatis expecta. Quid sit sanctum esse corpore breviter quidem sed plenè exposuisse me arbitror. Nunc quod sequitur, & *spiritu*, nosse debemus, hoc est, ut quod opere nefas est fieri, cogitatione concipere. Illa enim est sancta tam corpore quàm spiritu quæ nec mente nec carne delinquit, sciens etiam cordis esse speculatorem Deum, & idcirco satis agit ut omni modo etiam animum cum corpore mundum habeat à peccato, sciens scriptum esse: *Omni custodia custodi cor tuum*. & : *Ita enim diligit Dominus sancta corda, accepti sunt ei immaculati*. & alibi: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Quod de illis dici arbitror quos conscientia in nulla redarguit culpa peccati, de quibus & Iohannem in epistola dixisse reor: *Si cor nostrum non reprehenditur, fiduciam habemus ad Deum, & quæcunque petierimus accipiemus ab eo*. Nolo existimes te peccati crimen fugisse si voluntatem non sequatur effectus, cum scriptum est: *Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo*. Ne dicas, Cogitavi quidem & non feci; quoniam etiam concupiscere nefas est quod fieri crimen est. Vnde & beatus Petrus præcipit dicens: *Animas vestras castificate*. Qui si nullam animæ constuprationem nosset, nec castificari eam desiderasset. Sed & illum quo continetur, *Hi sunt qui se cum mulieribus non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt, hi sequuntur agnum quocumque ierit*

attentius considerare debemus & animadvertere si
 solius integritatis & pudicitiae merito istius divino
 comitatu copulentur & per omnia caelorum taber-
 nacula discurrant, an & alia sint quibus adjuncta
 virginitas tantae beatitudinis gloriam consequatur.
 Sed unde hoc scire poterimus? De sequentibus, nisi
 fallor, in quibus scriptum est: *Hi empti sunt ex om-
 nibus primitiis Deo & agno, & in ore ipsorum non est
 inventum mendacium, sine macula sunt ante thro-
 num Dei.* Vides ergo quod non in uno virgines tan-
 tum membro dominicis referantur inherere vesti-
 giis, sed illi qui praeter virginitatem ab omni conta-
 gione peccati immaculatam gesserint vitam. Idcir-
 co vel maximè virgo nuptias spernat, ut dum secu-
 rior est, facilius, quod etiam à nubentibus quæri-
 tur, ab omni se delicto custodiat, & universa legis
 mandata perficiat. Nam si non nubat, & ea nihilo-
 minus faciat à quibus & nuptiae esse jubentur immu-
 nes, non nupsisse quid proderit? Et quamquam nul-
 li Christianorum peccare liceat, & omnes quicun-
 que spiritalis lavacri sanctificatione purgantur, im-
 maculatam decurrere conveniat vitam, ut Ecclesiae,
 quae sine macula, sine ruga, sine aliquo vitio hujus-
 modi esse describitur, possint visceribus intimari,
 multò magis hoc virginem implere necesse est, quam
 nec mariti nec filiorum nec alterius necessitatis cau-
 sa prohibet quò minùs divinam scripturam perficiat,
 nec si qua peccet poterit excusatione defendi. O vir-
 go, serva propositum tibi magno præmio destina-
 tum. Præclara est apud Dominum virginitatis &
 pudicitiae virtus, si non aliis peccatorum & macula-
 rum lapsibus infirmetur. Agnosce statum tuum, ag-
 nosce locum, agnosce propositum. Christi sponsa
 diceris. Vide ne quid indignum ei cui desponsata vi-
 deris admittas. Citò scribet repudium si in te vel
 unum viderit adulterium. Quaecunque ergo huma-

norum sponsaliorum pignoribus obarratur, statim à domesticis, à familiaribus, ab amicis sponsi sollicitè ac diligenter requirit & servulis quales juvenis habeat mores, interrogat quid potissimum diligit, quid accipiat, quo usu vivat, qua se consuetudine regat, quibus utatur dapibus, in quibus maxime rebus delectetur & gaudeat. Quæ cum didicerit, ita se monentibus temperat ut sponsi moribus suum obsequium, sua jocunditas, sua dilectio, sua diligentia, sua vita concordet. Et tu quoque Christum sponsum habes. A domesticis & familiaribus ejus sponsi tui mores interroga, & strenuè ac soletter inquire quibus præcipuè delectatur, qualem in te compositionem vestium diligit. Dicat tibi ejus familiarissimus Petrus, qui nec nuptis quidem corporalem sed spiritalem permittit ornatum, sicut in epistola scripsit: *Mulieres similiter subjectæ viris sicut ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram: quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed absconsus cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Dicat & alius Apostolus beatus Paulus, qui ad Timotheum scribens Episcopum eandem fidelium feminarum disciplinam testatur: *Mulieres similiter in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes castitatem per bonam conversationem.* Sed forsitan dicas. Cur hæc Apostoli virginibus non jusserunt? Quia non necessarium judicabant, ne talis virginibus commonitio potius injuria quàm emendatio videretur. Sed nec eas unquam tantæ temeritatis fore credidissent ut nec nuptis quidem concessa carnalia ornamenta & terrena

1. Pe. 3.

1. Tim. 2.

presumerent. Reuera ornare se & componere virgo debet. Namque quomodo sponso suo placere poterit, nisi composita & ornata processerit? Ornetur planè, sed interioribus ornamentis, & spiritualiter, non corporaliter, componatur; quia Dominus non corporis sed animæ decorem in illa desiderat. Ergo & tu quæcunque animam tuam à Deo diligere & habitari concupiscis, omni eam diligentia comple, spiritualibus indumentis exorna. Nihil in ea indecorum, nihil fœdum appareat. Resplendeat auro iustitiæ, & gemmis refulgeat sanctitatis, & pretiosissima margarita pudiciæ coruscet, & pietatis tunica vestiatur, pro bysso & serico castitatis & misericordie tunica vestiatur, secundum quod scriptum est: *Induite ergo, sicut electi Dei sancti & electi, viscera misericordie, bonitatem, humilitatem &c.* Coloss. 3. Non decorem alterius pigmenti quærat, sed innocentie simplicitatisque candorem habeat, roseum verecundie colorem & pudorem ruboris pudorisque possideat. Cælestis abutatur nitro doctrinæ, & lamentis spiritualibus emundetur. Nulla in ea malitiæ, nulla doli macula relinquatur. Et ne quando malè redolet odore peccati, unguento suavissimæ sapientiæ & scientiæ perfundatur. Huiusmodi Deus quærit ornatum, & animam taliter compositam concupiscit. Memento te Dei filiam dici, secundum illud: *Audi filia & vide.* Psal. 44. Sed & tu ipsa, quotienscunque Deum patrem nominas, Dei te filiam esse testaris. Ergo si filia Dei es, vide ne quid eorum facias quæ Deo patri incongrua sunt; sed age omnia quasi filia Dei. Cognosce quomodo huiusce seculi nobilium filie gerant, quibus adsuescant moribus, quibusve se disciplinis instituunt. Tanta in quibusdam verecundia est, tanta gravitas, tanta modestia ut ceterorum hominum ritum intuitu humanæ ingenuitatis excedant, & nequaquam honestis parentibus suis per lapsum

suum notam inurant, alteram sibi quodam modo inter homines consuetudinis facientes naturam. Et tu originem tuam respice, genus intueri, gloriam nobilitatis adverte. Agnosce te non hominis tantum esse sed Dei filiam, & divinæ nativitatis nobilitate decoratam. Ita te exhibe ut cælestis nativitas pateat, & ut ingenuitas divina clarescat. Sit in te nova gravitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, & vitæ pudicitie habitus, sermo semper modestus & suo tempore proferendus; ut quisquis te viderit admiretur & dicat: Quæ hæc nova inter homines gravitatis patientia est, quæ pudoris verecundia, quæ honestatis modestia, quæ maturitas? Non est ista humana institutione disciplina mortalis. Cæleste * mihi aliquid in terreno corpore refulget. Puto quòd habitet in quibusdam hominibus Deus. Et cum te filiam Christi esse cognoverit, majori stupore tenebitur, & cogitet qualis ille sit dominus cujus talis ancilla est. Si vis ergo habere partem cum Christo, Christi tibi exemplo vivendum est, qui ab omni malitia & nequitia ita fuit extraneus ut nec inimicis quidem vicem redderet, quin potius & pro ipsis rogabat. Nolo enim ut eas animas Christianas existimes esse qui aut fratres aut sorores non dico oderunt, sed quæ proximos toto corde conscientia coram Dei testimonio non diligunt, cum Christianis Christi similitudine inimicos etiam amare necesse sit. Si sanctorum cupis habere consortium, à malitiæ & nequitia cogitatu peccatus emunda. Nemo te circumveniat, nemo fallaci sermone seducat. Non nisi sanctos & justos & simplices & innocentes & puros cælestis aula suscipit. Nullum apud Deum locum habet malitia. Ab omni nequitia & dolo mundum esse necesse est qui cupit regnare cum Christo. Nihil tam contrarium, nihil execrabile Deo quàm aliquem odisse, alterum velle

* f. inibi

vel lædere; nihil tam probabile quàm omnes amare.
 Quod Propheta prospiciens testatur dicens: *Qui diligis Dominum, odite malum.* Psal. 96. Vide ne aliquam humanam gloriam diligas, ne & tua portio inter illos computetur quibus dictum est: *Quomodo vos potestis credere gloriam ad invicem quærentes?* 1oa. 5. & de quibus per Prophetam dicitur: *Auge eis mala, auge mala gloriosæ terra, & confundantur à glorificatione vestra & ab opprobrio in conspectu Domini.* 1sa. 26. Nolo enim illas respicias quæ seculi non Domini sunt virgines, quæ propositi sui & confessionis immemores gaudent in delictis, in opibus delectantur, & corpore nobilitatis in origine gloriantur; quæ si pro certo Dei filias se esse crederent, nunquam post divinos natales nobilitatem admirarentur in patre quolibet honorato, si patrem Deum se habere sentirent. Quid tibi, ô stulta, blandiris & complaces? Duos homines in exordio fecit Deus, ex quibus totius humani generis sylva densescit. Mundanam nobilitatem non naturæ æquitas præstat, sed cupiditatis ambitio; & nulla inter eos discretio potest quos nativitas secunda generavit, per quam tam dives quam pauper, tam liber quàm servus, tam nobilis quàm ignobilis, Dei efficitur filius, & terrena nobilitas splendore cælestis gloriæ adumbratur. Nusquam omnino jam compareret, dum qui retro in secularibus honoribus impares fuerant, cælesti divinæ gloriæ nobilitate vestiuntur æqualiter. Nullus ibi jam ignobilitatis locus est, nec degeret quisquam est quem divinæ nativitatis sublimitas ornat, nisi apud illos qui non putant humanis cælestia præponenda. Aut si putant, quàm vanum est ut sese illis in minoribus præferant quos sibi in majoribus pares sentiant, quasi infra se positos in terra existiment quos sibi in cælestibus æquales crediderunt. Tu autem, quæcunque Christi non seculi virgo es, omnem præsentis vitæ gloriam fuge,

ut omnem quæ in futuro promittitur consequaris. Contentionum verba & animositatis causas evita, discordiarum quoque & litium occasiones subterfuge. Nam si juxta Apostoli doctrinam servum Domini litigare non oportet, quanto magis ancillam, cujus quò verecundior est sexus, animus debet esse modestior. Linguam à maliloquio cohibe, & ori tuo frænos legis impone; & tunc si fortè loquaris quando tacere peccatum, cave ne quod in reprehensionem veniat dicas. Lapis emissus est sermo prolatus. Quapropter diù antequam proferatur cogitandus est. Beata quippe talia sunt quæ nunquam quod revocare velint emittunt. Pudicæ mentis sermo debet esse pudicus, qui ædificet semper magis quàm aliquando destruat audientes. Sequendum quod præcipit Apostolus dicens: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad edificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Pretiosa Deo lingua est quæ nonnisi in divinis rebus novit verba construere, & sanctum os unde cœlestia semper eloquia proferuntur. Absentium obrectatores quasi malignos scripturæ auctoritate deterre; quia etiam hoc inter perfecti virtutes hominis Propheta commemorat, si ante conspectum justi malignus ad nihilum deducatur qui contra proximum non probanda protulerit. Non licet tibi alterius vituperationem patienter audire, qui nec ab aliis optas recipi tuam. Injustum quippe est quicquid contra Christi evangelium venit, si alteri quod tibi ab alio fieri molestum est patiaris inferri. Linguam tuam semper de bonis loqui assuesce, & auditum tuum magis ad bonorum laudem quàm ad malorum vituperationem commoda. Vide ut omnia quæcunque beneficias, propter Deum facias, sciens ejus rei tantam te à Domino recepturam esse mercedem quam ejus timoris dilectionis causa perfeceris. Sancta magis esse

Ephes. 4.

Psal. 14.

esse quàm videri stude : quia nihil æstimari quod non sit, & duplicis peccati reatus est non habere quod creditur & quod non habeas simulari. In jejuniis magis quàm in epulis delectare, illius viduæ memor quæ non decedebat de templo jejuniis & orationibus Deo serviens die ac nocte. Et si vidua quidem Iudæa talis fuit, qualem nunc esse virginem convenit Christi? Divinæ magis dilectionis convivium dilige, & Christi talibus te satiari dapibus concupisce. Illos potiùs require cibos quibus anima magis quàm corpus reficiatur. Carnis & vini species quasi caloris fomenta & libidinis incitamenta fuge. Et tunc si fortè vino exiguo uteris cùm stomachi dolore nimio corporis compellat infirmitas, iracundiam vince, animositatem cohibe, & quicquid illud est quod post factum pœnitentiam ingerit. Proximi criminis abominationem declina. Satis quietam, satis tranquillam convenit esse mentem ab omni conturbatione furoris alienam quæ Dei habitaculum esse desiderat, qui per Prophetam testatur & dicit : *Su-* Isa. 66.
per quem requiescam alium nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos? Omnium operum & cogitationum tuarum speculatorem Deum crede, & cave ne quid quod divinis oculis indignum sit aut opereris aut cogites. Cùm orationem celebrare desideras, talem te exhibe quasi sis cùm Deo loquutura. Cùm psalmum dicis, cujus verba loquaris agnosce, & in compunctione magis animæ quàm in tinnulis vocis dulcedine delectare. Lacrymas enim p Deus magis quàm vocis gratiam comprobatur. Et Propheta dicit : *Servite Domi-* Psal. 2.
no in timore, & exultate ei cum tremore. Vbi timor & tremor est, ibi non vocis elatio est, sed animus flebilis & lacrymosa dilectio. Omnibus actibus tuis Hier. 48.
diligentiam exhibe ; quia scriptum est : *Maledictus qui facit opera Domini negligenter.* Crescat in te cum

annis gratia, crescat cum ætate iustitia, & fides eo perfectior videatur esse quo senior: quia Dominus Iesus, qui nobis vivendi reliquit exemplum, proficiebat non ætate tantum corporea, sed sapientia & gratia spiritali, coram Deo & hominibus. Omne tempus in quo te non meliorem senseris, hoc æstima perdidisse. Conceptum virginitatis propositum ad finem usque conserva; quia non inchoasse tantum, sed perfecisse, virtutis est, sicut in evangelio Dominus ait: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Cave ergo ne cui occasionem vel concupiscendi tribuas, quoniam sponsus tuus zelans est. Criminosior est Christi adultera quam mariti. Esto igitur omnibus forma vivendi, esto exemplum. Præcede & in actu quos in sanctitatis sanctificatione præcurris. Virginem te in omnibus exhibe. Nihil corruptionis obiciatur capiti tuo. Cujus corpus integrum est, sit inviolabilis conversatio. Et quoniam, ut in exordio epistolæ præfati sumus te Dei sacrificium factum, quod utique sanctitatem suam etiam aliis impertit, ut quisquis ex eis dignè sumserit, sanctificationis & ipse sit particeps, ita ergo & per te quasi per divinam hostiam sanctificentur & ceteræ, cum quibus te ita in omnibus exhibeas ut quisquis vitam tuam aut auditu aut visu contigerit, sanctificationis vim sentiat, & tantum sibi intelligat gratiæ ex tua conversatione transfundi ut dum te imitari concupiscet, Dei sacrificio & ipse sit dignus.

